

Tertium cometam Keplerus, die 29. Nov. quaerens secundum, conspexit clarissimum infra lancem Librae eique tribuit long. $12^{\circ} 43' \text{M}$, lat. $7^{\circ} 30'$ bor. Die 7. Jan. 1619. vidit „ad penultimam caudae Draconis splendorem quasi nebulosae convolutionis“; an vero cometa esset illi stellae junctus, certe profiteri non ausus est. „Haec ultima est observatio.“ Tabella adjuncta incipit a die 24. Dec., quo longitudo cometae ponitur $18^{\circ} 2' \text{M}$, die 8. Dec. $28^{\circ} 33' \text{M}$, d. 21. $28^{\circ} 43' \text{M}$, d. 1. Jan. $27^{\circ} 20' \text{Q}$, die 20. Jan. $20^{\circ} 50' \text{C}$; latitudo crescit a $4^{\circ} 40'$ bor. in $63^{\circ} 15'$ (die 30. Dec.) et hinc decrescit in $58^{\circ} 30'$ (d. 18. Jan.). Haec tabula confecta est cum ex Kepleri ipsius observationibus, tum ex observationibus Habrechtii Argentoratensis, Ingolstadiensium (sociorum Jesuitarum), Rhodii Wittebergensis, Welperi Lorenensis, Remi (Rastadii et Oenoponti), Mülleri Lipsiensis, Ursini („ad Viadrum“).

Ex his observationibus „undiquaque conquisitis“ concludit, nullam elici posse parallaxin sensibilem; caudae longitudinem majorem esse 10000 milliariis; geometricè probare nititur, trajectoriam cometae fuisse lineam rectam, ex aequabili paulatim ordinatis decrementis languescentem, quam non novandi libidine ponat, sed quia multarum apparentiarum causas evidentes inveniat in motu rectilineo, quas in circulari motu ne somniare quidem facile sit (cfr. vol. II. p. 339 s.). Locum in mundo tribuit cometae initio inter Mercurium et Venerem, hinc transiisse per orbem Veneris, circa 21. Dec. in orbem Martis et circa finem apparitionis in Jovis.

Cum cometa secundus et tertius eodem tempore sint visi et ab eodem coeli loco progressi, multi observatores duos hosce in unum confuderunt. Hinc nascitur Kepleri opinio, unum cometam in duas partes dissiliisse et pluribus inquiri ea, quae refert Seneca de eodem phaenomeno anno a. Ch. 372 illamque „illibatam“ stare censet.

His adjungit Keplerus quaestiones, motus cometarum quorumcumque concernentes: cur alii initio, alii post initium diurnos faciant maximos, ante et post minores? Quare in fine fiant tardi, stationarii vel retrogradi? Quare ut plurimum circulos magnos videantur describere? Quare, tardi facti, incipiant curvare itinera sua? Responsiones ad has similesque quaestiones inniuntur „trajectoriae rectilineae“ et Terrae motui annuo circa Solem, quare his concludit Keplerus verbis: *Vale Ptolemaee, ad Aristarchum revertor cum Copernico.*

Libris II. et III. conatur Keplerus, cometarum naturam, ortum et significationes astrologicas explicare. Cometam dicit ex aethere ortos, qui saepius crassescat, ita ut stellae nequeant cerni nec Sol clarus appareat. Ex hac crassa materia opinatur Keplerus cometam conglobari, vi facultatis alicujus, quae insit aetherae substantiae, animali aut vitali facultati comparandae. Globos cometarum pellucidos esse censet et vi radiorum Solis sensim sensimque dissolvi, comparans hanc solutionem nebularum discussioni vi Solis peractae. Caudas cometarum similiter oriri ex ipsorum corpore, a Sole expulsas et illuminatas. Curvaturas caudae in quibusdam cometis, variantes longitudes, distantias quarundam a capite, interdum divisiones illarum ex refractione radiorum Solis per caput cometae variata explicat.

Ad significationes transiens primum non negat Keplerus, fieri posse, ut cometae vel cauda vel ipsum caput Terram tangat vel ab ea perforetur. Hoc pacto nova et insolita materia aërem Terrae infici consentaneum esse et hinc oriri posse universales per totum orbem Terrae morbos. Alios effectus in Terra vel in hominibus, si qui sint, explicandos censet facultate illa ani-